

900
lum circa nullam aliam materiam, quam *Christi Resurrectionem ex mortuis* versatur. Nam resurrectio Christi paschalis *μνημοσοφίας α & ω, prora & puppis, principium & finis*. IV. *Causa Finalis, secundum meum Evangelium*, ut nim. hæc Christi Resurrectio secundum Evangelium paschale credatur, & in fucum & sanguinem ad vitam spiritualem, & æternam, ex intentione DEI revelantis, & ministri prædicantis convertatur.

4. Nunc igitur ordine de *causis* hujus paschalis *Μνημοσοφίας* breviter nobis agendum erit; nam ut vel quoad *onomatologiam*, vel quoad *existentiam* hujus *Μνημοσοφίας* laborem aliquem suscipiamus, operæ precium modo nullum esse videtur. Ad *realia* potius progredi constituimus.

5. *Causa Principalis Paschalis* hujus *Μνημοσοφίας* explicitis verbis in textu non producitur, interim non obscurius, sed evidenter in præcedentibus ostenditur, *tum v. 1. Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo: tum v. 2. quod laborare debeat, sicut bonus miles Jesu Christi: tum v. 3. requiritur, ut sit DEO militans non in aliis modo, sed etiam in exercenda paschali μνημοσοφία, eaque fidelibus aliis per Ministerium suum proponenda, vel exponenda, vel inserenda: cum primis autem v. 7. immediate præcedenti: Intellige, quæ dico: Dabit enim Dominus in omnibus intellectum, præ cunctis aliis in Μνημοσοφία paschali, quam verbis immediate sequentibus v. 8. subjungit: Memor esto, Dominum Jesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum.*

6. Et certe Paulus ex instinctu Spiritus Sancti non modo *causam principalem Μνημοσοφίας Paschalis* his verbis emphaticis, immediate præcedentibus, indicare, sed etiam *dignitatem, necessitatem, jucunditatem, & utilitatem* ejus omnibus Christianis commendare voluit. Hæc enim est praxis Spiritus Sancti, quemadmodum passim videre licet, quoties *rem arduam, notatam & memoratam dignam, necessariam ac fructuosam* nobis inculcare constituit, *præfationis, vel exordii loco*, quædam emphatica verba præmittere soleat, vel ad *benevolentie captationem, vel ad docilitatis preparationem, vel ad peculiaris attentionis excitationem*. Sic Jacob moribundus ex afflatu Spiritus Sancti

Sancti